



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Qualitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

gi possit. Turcæ ubique otiosi, nam agriculturam relinquunt indigenis Christianis, mercaturam Iudæis, & Italis.

§. 2. De Macedonia.

N V M. 1. Nomen.

IN Historiis recentioribus, & Relationibus, atque Hodæporiis maxima pars Macedonia, & Thessaliæ vno nomine MACEDONIA nominatur, licet reuera ab indigenis secernatur, in hæc nomina *Tamboli*, *Macedonia*, *Comenolirari*, *Ianna*, quæ tibi in Geographi-
câ descriptione proponentur.

N V M. 2. Quantitas Macedoniae.

Latitudo à montis *Karoptniza*, seu Orbeli vertice, ad intimum finum Malliacum, vulgò *del Zito*, 4. gradus totos reddit, ac proinde 240. millia passuum, leucas nostrates 120. Germanicas 60.

Longitudo ab extremo Promontorio *Montis Sancti*, ad montes Albaniam dirimentes extenditur, quæ reuocata ad maiorem circumulum dat quoque 4. gradus, ac proinde longitudinem omnino similem latitudini facit.

N V M. 3. Qualitas Macedoniae.

REGIO tota frumento abundat, & quibusdam in locis vite, & oleâ: innumeræ hîc quoque feræ, & armenta pulcherrima. In fodinis Siderocapsinis aurum eruitur & plurimum, & purissimum ad Sultanos percutiendos, vulgò *des Squins*.

N V M. 4. Politia.

SANIACVS Thessalonicae, maximæ est, & præcipuæ in hoc tractu auctoritatis, & 400. equites alit: indigenæ tantum non mancipia, miseram Turcis seruiunt seruitutem. Sed mercatores humaniter accipiuntur, spe lucri. Vrbs Thessalonica vendita fuerat Venetis ab Andronico Palæologo, quibus erepta est ab Amuratho II.